



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LXXXV. De pollutione nocturna in vigilia reprimenda &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

tia, quia ubi major est sollicitudo, imaginatio magis defigitur in tali objecto, per imaginationem autem maximè augentur.

Dixi suprà absque rationabili & justa causa; nam si ob causam necessariam, vel utilem tibi aut alteri non reprimis ejusmodi motus, quales sunt audire confessio-

nes, legere, & Studere, equitare, timor incidendi in turpiores delectationes, vehementioris, ac urgentioris tentationis &c. nullum peccatum committis, modò absit periculum consensùs, ut notant Azor, Salas, Sanch.

Palao, Vasque & alii citati.

## CASUS LXXXV.

### *De pollutione nocturna in vigilia reprimenda &c.*

Fabronius nobilis vir comedens quosdam cibos calidos, & certo situ accumbens in lecto incidit non nunquam in pollutionem in somnis, quam, dum evigilat, non reprimat, sed permittit. Non nunquam de ea in somnis habita etiam gaudet, aut eam in somno evenientem desiderat.

QUÆR. I. An pollutio, qua incipit in somnis, sit sub gravi obligatione in vigilia reprimenda?

QUÆR. II. An Fabronius abstinere debeat ab ejusmodi cibis, & taliter accumbendi situm mutare?

QUÆR. III. An peccatum mortale sit desiderare pollutionem in somnis, & de ea in somnis habita gaudere?

496 AD I. Q. An pollutio in somnis coepta sit sub gravi obligatione in vigilia reprimenda? Respondet Toletus l. 5. cap. 13, cum pollutio incipit in som-

nis, ita ut effusio seminis partim fiat in somno, partim in vigilia, peccatum esse veniale, si homo habeat aliquem rationis usum, & potestatem se cohibendi, saltem im-

perfectam, & non plenam, & eam non reprimat; mortale verò esse, si plenam habeat se cohibendi facultatem.

Negativam sententiam docent de la Crux in *direct. p. p. præc. 6. a. 8. dub. 10. Concl. 2. Diana part. 3. tr. 5. R. 21. Fill. tr. 30. cap. 8. n. 147. Platel. de pecc. n. 224. La Croix l. 3. p. 1. dub. 4. Eman. Sà V. luxuria n. 10. ubi sic ait: cœptam in somno pollutionem non tenetur evigilans reprimere, sufficit enim non placere. Sic ille. Et ratio est; quia cùm talis pollutio inceperit in somnis sine peccato, & involuntariè, illius effusio est effectus naturalis illius causæ inculpabilis: ergo poterit permittere, ut natura se exoneret, cùm id non sit procurare, sed pati, ut effluat id, quod aliàs corruptum sanitatem læderet, dummodo patiens certus sit de non præstando consensu, nec eam voluntariè promoveat. Quo in sensu sententiam hanc admittit etiam Fagund. præc. 3. l. 3. c. 6. n. 11. Nec alio in sensu reor eam docuisse citt. DD. & alii; Tolet. verò videtur loqui de pollutione nocturna, quæ in causa, vel effectu culpabilis est, ut colligi potest ex subjunctis hisce verbis: Quamvis autem non sit in se peccatum ista nocturna pollutio, tamen in antecedentibus ipsam, quod alii dicunt in causa, potest esse peccatum, &*

in subsequentibus, seu in effectu. Ita ille.

Consulendum tamen est, ut in similibus casibus eliciatur positiva displicentia ob periculum, quod subest, consensûs, saltem in delectationem, ut cum aliis notat Sanch. l. c. idque Studiosi puritatis factitare consueverunt. Quod si quis expergefactus non tantum non eliciat positivam aliquam displicentiam, sed pollutionem in somnis inceptam promoveat addendo conatum, aut protrudendo ultimas ejus reliquias, à mortali peccato non excusabitur, quia tunc non permittit tantum, sed positivè illam continuat.

Ad 2. Q. An Fabronius abstinere debeat ab ejusmodi cibis? 497  
Negativè respondent Jo. Sanc. in *sel. d. 21. n. 22. & 23. Diana l. c. R. 22. Less. l. 4. c. 3. dub. 54. n. 100. & 101. de la Crux l. c. dub. 9. Villalob. t. 2. tr. 40. dub. 16. La Croix l. 3. p. 1. dub. 4. Ills. t. 4. d. 1. n. 72. citans Sanch. Pal. Laym. & alios, dummodo bona fide procedatur, & absit periculum consensûs, nec ullo modo intendatur oblectatio in illam. Rationem dant, quia qui utitur jure suo, quod habet ad ponendam actionem honestam, & licitam, illi non imputatur ad peccatum, quod per accidens sequitur; non enim tenetur quis vita-*

re causam remotam, & per accidens influentem in pollutionem, dummodo absit periculum consensûs; cujusmodi causa remota, & per accidens influentes sunt esus, & potus calidorum, equitatio, certus & commodus situs cubandi in lecto &c. nam esus v. g. calidorum per se tantum tendit ad roborandum corpus per augmentum sanguinis, & spirituum animalium, ex quorum vigore, vel abundantia oritur quandoque pollutio, quod per accidens est tali pollutioni, & talis causa alium habet honestum, & utilem finem prævalentem illi periculo remoto pollutionis.

Quando ergo actio, ex qua prævidetur pollutio, per se, & suapte natura non ordinatur ad illam, sed alium habet finem honestum, utilem, aut necessarium etiam ex intentione operantis, nullum esse peccatum (præciso periculo consensûs) talem actionem ponere, vel continuare, docent ex D. Aug. S. Th. & communi DD. Sanch. de Matr. l. 9. d. 45. Tanner. d. 4. q. 8. n. 81. La Croix, & alii, quamvis præter intentionem, & per accidens pollutio prævideatur inde naturaliter oritura. Hinc non obstante periculo pollutionis licitum esse audire confessiones mulierum, Studere casibus conscientiarum, se ipsum ex necessitate tangere, feminas cum necessitate cautè al-

loqui, aut osculari juxta morem patriæ, quando id sine gravi offensione, & inurbanitatis nota omitti non potest; si tamen periculum esset consensûs in delectationem, quando scilicet quis experientiam habet consentiendi, eò quòd sæpius in simili occasione lapsus sit, tunc utique abstinendum esset à tali actione, quamvis ex se honesta, & licita.

Quod si actio, ex qua tanquam causa, pollutio sequetur, per se turpis sit, & illicita, ac ex natura sua ordinata ad rem veneream, ut sunt actus luxuriosi, tactus, aspectus, lectio, & locutio turpis, amplexus, oscula, quæ propter voluptatem fiunt, tunc peccatum mortale esse ab illis non abstinere, seu causam pollutionis scienter, & voluntariè præbere, tradunt Navar. cap. 16. n. 6. Sanch. l. c. Concl. 1. Cajetan. V. pollutio. Laym. l. 3. S. 4. de temper. n. 15. Arriag. d. 46. Mendo d. 5. q. 2. & alii; quia consentiens in talem actionem moraliter in effectum consentire censetur; perindeque esse censetur sive effectus procedat ex natura, & necessitate operis voluntariè exerciti, sive fiat ex intentione operantis; nam *expliciti, & impliciti eadem est vis*; Et sicuti qui multum vini bibit, ex quo scit naturaliter sequi ebrietatem, is implicitè censetur velle ebrius fieri, licet explicitè non intendat; ita pariter qui actum impudi-

puerum exercet, ex quo specta-  
ta corporis sui constitutione præ-  
videt pollutionem per se, ac na-  
turaliter secuturam, implicitè cen-  
setur velle pollutionem, quam-  
vis eam explicitè non intendat.

- 498 Ad 3. Q. An peccatum mor-  
tale sit desiderare pollutionem in  
somis; & de ea in somnis habi-  
ta gaudere? Communior senten-  
tia cum Navar. l. c. n. 7. 8. & 9.  
Sylvest. *V. pollutio*. Tolet. l. c.  
Vasq. l. 2. q. 74. a. 8. D. 115.  
Sanch. l. 1. c. 2. n. 18. Palao *tr.*  
2. D. 2. p. 10. §. 2. n. 10. Less.  
l. 4. c. 3. *dub.* 14. n. 105. Tanner.  
D. 4. q. 8. n. 145. Basil. Platel.  
Spor. La Croix l. c. contra So-  
tum, Ledesm. Metin. Manuel.  
Cordub. affirmat, licitum esse  
affectu simplici, & inefficaci de-  
siderare pollutionem in somnis  
naturaliter evententem, aut de  
ea in somnis ita habita gaudere,  
non quidem de ea secundum se,  
sed ob effectum bonum inde se-  
cutum, v. g. ob corporis sanita-  
tem, aut ad sedandas carnis ten-  
tationes, quibus interdum affligi-  
tur. Rationem dant, quia cum  
talis pollutio via naturali prove-  
niat, nullatenus est actus homi-  
nis, nec ejus voluntati subjectus,  
uti subjectus est actus fornicatio-  
nis, sed est evacuatio quædam  
naturalis corporis, sicut Sudor,  
aut alia excrementa superflua. Ut  
adeò non dicant licere eam de-  
siderare, aut de ea gaudere, eò

quòd in somnis accidat, & ob id  
à culpa libereris, quia eadem ra-  
tio militaret etiam pro homici-  
dio & fornicatione ita admittis,  
sed eò quòd naturaliter eveniat  
instar aliarum naturalium evacua-  
tionum, & ob effectum bonum,  
seu potius de effectu post eam  
secuto; qua ratione Ecclesia gau-  
det de Adæ peccato, cum dicit:  
*O felix culpa, que talem, ac tantum  
meruit habere Redemptorem.*

Neque inferas, si licet pollu-  
tionem ita desiderare, licere eam  
etiam procurare; nam non quid  
quid licet desiderare, licet etiam  
efficere, ut bene notat Palao l.  
c. quia alio modo tendit deside-  
rium in objectum, ac tendit ope-  
ratio; sic desiderare potest Cle-  
ricus, ut latrones, & patriæ pro-  
ditores interficiantur, non tamen  
potest illos interficere, quia non  
desiderat interfici à se, sed ab  
alio. Sic si Governator Reipub-  
licæ eam pessimè administrat  
cum plurimorum ruina, fas est  
tibi communis boni causâ sim-  
plici affectu optare, ut moriatur,  
uti ait Laym. l. c. aut eo mor-  
tuo gaudere, cum tamen ei  
mortem procurare tibi non li-  
ceat.

Quæ hæcenus dicta sunt, in-  
telligi debent de gaudio & desi-  
derio simplici, quod est potius  
speculativum, quam practicum,  
seu quod non est conjunctum  
cum

cum periculo consensus in pollutionem, neque causa delectationis appetitus sensitivi cum prava commotione spirituum vitalium; nam pollutionem simplici affectu optare, vel de ea naturaliter orta gaudere propter voluptatem, peccatum est mortale delectationis morosa, ut docent S. Anton. p. 2. tit. 6. cap. 5. Sanch. Laym. Navar. Adrian. Azor, & alii.

Porro cautè hinc procedendum est, omnique modo consulendum, ut ab ejusmodi desideriis ablineatur ob periculum consensus in

carnis delectationem: Unde rectè monet, & notat Gerlon *part. 2. oper. tract. de pollut. prop. 12.* ejusmodi simplex desiderium, aut gaudium de pollutione naturaliter proveniente, quia v. g. ad sanitatem conducere videtur, esse indicium hominis necdum castitatis perfectionem assecuti; Viri enim perfecti, & castitatis amantes ob puritatis amorem, & timorem periculi consentiendi in carnis delectationem, quàm maximè abhorrent ab omni, quamvis naturaliter proveniente, carnis impuritate, & immunditia.

## C A S U S LXXXVI.

*De valore voti castitatis emissi à proclivi in lapsum carnis, ejusque commutatione.*

**R**osina, quamvis ob graves carnis Stimulos arbitretur, utiliore sibi fore Statum conjugalem, nihilominus rata se posse, has, quas patitur, tentationes superare, emittit votum simplex castitatis; sed, cum postea animadvertat, se tentationibus sæpius succumbere, & votum violare, ejus commutationem à suo Confessario instanter petit ad effectum matrimonii contrahendi, qui proin illud commutat in jejunia, Confessiones, & communiones, ac preces quotidianas; quo facto matrimonium contrahit cum Titio, sed vix anno elapso moritur Titius maritus.

*R. P. Leonardelli Soc. Jesu.*

Zzz

QUÆR.